



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Ecclesiæ Ravennatensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

bere. Quod si post hujusmodi juramentum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos aut nasum amitteret, seu quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profecto *nuptam non posset dimittere. Sed numquid non ductam admittere teneretur, quamvis interdum contractum non dirimat quod impedit contrahendum. Illud autem juramentum est procul dubio temerarium, si vir juret uxori quod eam super nullo crimine accusabit: quia si mulier fieret infidelis & nollet cohabitare viro absque contumelia creatoris, vel ut illum pertraheret ad infidelitatis errorem, vir incunctanter deberet illam impetere apud judicem suum, ut eam, nisi penitus resipisceret, omnino dimitteret secundum canonicas sanctiones. Quod si expressè jurasset quod eam super adulterio non impeteret, essetne servandum hujusmodi juramentum, cum scriptura testetur quod patronus est turpitudinis qui celat crimen uxoris? Et secundum regulam evangelij, si primò & secundò correctà resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesie, ut tanquam ethnica & publica deinde vitaretur, neve per hoc libera præberetur ei peccandi facultas, propter impunitatem peccati. Sed numquid vir ei non potest dimittere in ipsum peccanti, non solum septies, sed etiam usque septuagies septies secundum evangelicam veritatem? Tutius igitur in hoc casu videtur ut propter jurisjurandi religionem vir accusare desinat uxorem ad divortium celebrandum, quanquam eam denunciare possit ad poenitentiam peragendam. Pensato itaque hujus responsionis tenore procedas in causa super qua nos consulere decrevist. Datum Viterbij Kal. Septembris, anno decimo.

CAPITULO ECCLESIE
Ravennatensis.

AD tantam, sicut dolentes accepimus, Ecclesia vestra necessitatem devenit ut præter alias incommoditates ipsius grandes & graves, pontifica liaetiam ornamenta sint pignori obligata, ita quod venerabilis frater noster Archiepiscopus vester non habet cum quibus congruè valeat pontificale officium celebrare. Nos igitur ipsius necessitati paterno compatiētes affectu, ad ejus indigentiam ex abundantia nostra supplendam fieri jussimus pontificalia indumenta, videlicet tunicam, dalmaticam, & planetam de op-

Tom. II.

timo examito rubeo, grammatibus & aurifrigiis decenter ornata, & tam ipsa quam amictum, albam, stolam, cingulum, & manipulum eidem Archiepiscopo & per eum Ecclesie tribuimus Ravennati, sub anathematis interminatione vetantes ne quisquam ea quomodolibet alienare præsumat, sed ad usum Archiepiscopi, qui pro tempore fuerit, ex apostolicæ sedis statuto in jure Ecclesie Ravennatis semper consistant. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ donationis, prohibitionis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Viterbij.

ARCHIEPISCOPO RAVENNATENSIS.

Licet causam quæ inter te ac Ecclesiam tuam ex una parte & dilectos filios commune Faventie ex altera vertebatur super jurisdictione, honore, atque districtu in villa Lucij sancti Petri & castro Arioli, quæ ad tuam Ecclesiam dicebantur de jure spectare, sæpe diversis iudicibus commiserimus, quia tamen per eorum aliquos non fuit utiliter in negotio ipso processum, partibus demum dedimus in mandatis ut pro ipsa causa nostro se conspectui præsentarent. Quarum procuratoribus cum instrumentis de rato in nostra postmodum præsentia constitutis, cum fuisset aliquandiu coram nobis super quibusdam exceptionibus disputatum, Iconomus tandem Ecclesie tuæ proposuit in hunc modum, quod cum omnimoda jurisdictio, honor, atque districtus, & alia quædam ad hæc spectantia in prædictis locis ad Ecclesiam pertineant memoratam & in ipsorum quasi possessione plenaria diu fuerit & quæta, commune Faventie ipsam super præmissis contra justitiam molestabat, homines prædictorum locorum cogendo in collectis sibi, exercitu, cavalcatis, laboreris, bannis, & placitis, angariis & parangariis respondere, ac domicilia in civitate sibi constituere Faventina. Vnde petebat idem Iconomus ut Faventinos ipsos ab hujusmodi perturbatione ac molestatione indebita faceremus auctoritate apostolica cohiberi. Ad cujus postulationem Syndico communis Faventie respondente, ac interrogationibus & responsionibus redactis in scriptis, juramentum calumnie fecimus utrique præstari. Verum quia utrique parti erat plurimum onerosum ut testes produceret coram nobis, venerabili fratri nostro Placentino Episcopo dedimus in præceptis ut infra tres menses post susceptionem

I

*Epist. 116.
De controversia inter Ecclesiam Ravennatem & Commune Faventinum.
Cap. Licet causam. De probationibus.*

*In Tertio
causæ dicitur*

*Epist. 111.
Vt provident
Archiepiscopo
sua quædam
pontificalia in-
dumenta.*